Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1539
Quelle:
Copyright:

Lugd. p. 966. quibus etiam post verba: *in aliis occupato* addo e Codice: *et multis ut scis animi molestiis pregrauato.* Catalogo Imperatorum, in quem opus definit, et in Editis in *Fridericum* exit, nobis additur: *Fridericus* (regn. ann.) XXXVIII. et ab alia manu: *Heinricus filius eius VIII. Philippus frater eius rex. XI. hic Babenberch ab ottone palatino fraudulenter occiditur.* Id quod accidit anno 1208. Subnexa est continuo *Rom. Pontificum Series*, quam *Honorius* certo certius in sua *Imagine Mundi* Imperatorum Catalogo vel praemiserat, vel addiderat, quae vero in Editis divulsa et post LL. *de Philosophia Mundi* ad p. 1026. reposita est, cumque hic in *Innocentio* II. et a. 1130. sistat, nobis ad *Adrianum* IV. adeoque a. 1154. progreditur.

II. *fol.* 40. et deinceps in charta Sec. XV. Preces ad Indumenta Episcopi Sacra facturi cum Benedictionibus per annum.

III. *fol.* 48. *Speculum Sacerdotum.* Est institutio circa administrationem Sacramentorum Baptismi, Eucharistiae, et Poenitentiae, quae incipit: *Materia baptismi debet esse aqua pura* &c. et jam eodem Sec. typis vulgata est.

IV. *fol.* 64. Carmen de Fundatione Monasterii *Lunaelacensis* quod incipit:

Quidam magnorum fuerat rex theotunicorum
Ex incarnati Pippinus tempore christi &c.

et extat impressum in *Chronico* hujus Monasterii *Ratisb.* 1748. p. 128. 4. Exemplar tamen praesens non consuluit Archivarius editor; non enim scripsisset *Christove donati*, aut *At testatur hæc*, ubi nos rite legimus *Christove parati*, et *Ac detestatur hæc*, et similia. Addita est huic Poematio Versio Theotisca, quae ita ingreditur: *Nach christi gepürde Sibenhundert iar waz ein tewtscher mächtiger starcher Chunig gehaizzn Pipinus Stiffter vnd christi den zeiten gewaltig vnd sighaft vnd reigsent in franchreich von rechtes wegen seinen vadern. Der selb chunig pipinus het pruder leichen form vnd regl wol ziert allenthalben mit manigen tüngten, vnd waz, alz wir wizzn, der erst in dem reich gehaizzen Otilo* &c.

V. *fol.* 73. Lectiones breves de Sanctis, vel *Martyrologium* ab Adventu inchoans et mense *Junio* in *Primo et Feliciano* abruptum. Initium: *Aduentus christi agitur per quatuor septimanas* &c. De Festo Trinitatis ita traditur: *Karulus christianissimus imperator rogauit Alcuinum magistrum suum, ut hystoriam de sancta trinitate componeret, per quam errores* (Felicis et Elipandi?) *eliminaret et fidem katholicam edoceret, qua composita ordinatum est, ut id festum solempniter celebraretur. Honorius Augustod.* autem in *Gemma Ani-*